



STATUTA

FACULTATUM SACRAE THEOLOGIAE,
JURIS CANONICI AC PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE
IN SEMINARIO SALMANTICENSI

PROOEMIUM



SANCTUS Ferdinandus Castellae ac Legionis Princeps, rei christianae pariter ac militiae clarus, quam Alphonsus IX, ejus parens, Academiam Salmanticae condiderat, Litteris anno 1243 datis, confirmat, cujus moderatores Antistitem dioecesis, Decanum Capituli aliosque Superiores in perpetuum fore decrevit.

Sapientissimi Alphonsi X, qui nonnullas hujusce Academiae Scholas opibus auxerat, praecibus benigne indulgens Alexander IV Apostolicis Litteris quarum est initium *Inter ea*, anno 1255, Studia generalia Salmanticensia sua auctoritate roboravit.

Anno 1298 Bonifacius, hujus nominis Octavus, Litteras ad Scholam misit una cum Sexto ab ipso condito Decretalium libro. Ratum Concilium Oecumeni-

cum Viennense illos sapientiae rivulos in universam gentem esse dilapsuros, qui antea ex publicis Salmanticensis Athenaei ludis profluxissent, anno 1312 novam adolescentibus palaestram, qui Litteras Hebraicas, Chaldaicas et Arabicas excolerent, adaperiendam curavit. Joannes quoque XXII memorandis Apostolicis Litteris *Summa providit* magistro Scholarum, cujus in Universitatem jurisdictio robur atque tutamen accepit, jus et officium Magistros et Doctores renuntiandi, concessit.

Nec praetermittenda illa Martini V clarissima Bulla *Sedis Apostolicae clementia* anno 1422 edita, qua optima Studio Salmanticensi Statuta erogavit, “quod, inquit ipse, unum ex quatuor generalibus ex Dispensatione Apostolica in regione hispana celebri fama resplendet,„. Nec minus sunt memoratu digna haec quae apud Eugenium IV, in Litteris Apostolicis *Qui creditum* VI kalend. Martias 1431, de Academia Salmantina, jam tunc in orbe terrarum celeberrima, scripta reperimus: “Ad venerabilis itaque Salmanticensis propagationem Studii quod virtuosorum doctissimorumque virorum multitudinem produxit innumeram,„.

Nusquam profecto disciplinis theologicis ac canonicis tam insigniter prospectum fuisse accepimus, quam in hac perillustri Schola, cujus sapientissimi Magistri annó Domini 1627 jurejurando jurarunt se doctrinam S. Augustini, per verba Angelici Doctoris interpretatam, posthac esse tradituros. At fortuna hac nostra luctuosissima aetate bonorum spes intercepit. Quum enim medio hoc saeculo post innumeras rerum publicarum conversiones, quae finitimas jam regiones infecerant, Supremi Regni moderatores Fa-

cultatem Juris canonici ad limites quasi incredibiles verterent, cultumque rei Theologicae in civilibus Athenaeis intercluderent, factum est, ut in hujusmodi angustiis ab adolescentum animis arcendis S. Sedes strenue adlaboraret. Huic tandem incommodo obviam itum est per Litteras Apostolicas Pii Papae IX Praesulibus Toletano, Valentino, Granatensi ac Salmanticensi (Compostellano postea incluso), concedentis, dum, expresse declarante Gubernio, Seminaria generalia erigerentur, privilegium ad beneplacitum S. Sedis, Prolytatum et Lauream conferendi. Cum autem Seminariis generalibus erigendis diuturna mora interponeretur, Antistes hic Salmanticensis, quum ad Visitanda Sacra Limina proficisceretur, hanc opportunam nactus est occasionem illic consulendi de novo hic erigendo Collegio disciplinis superioribus tradendis. Quod Episcopi consilium non tam ipse Summus Pontifex laudibus extulit, sed et Antistites comprovinciales et quamplurimi viri, quorum auctoritas in scientiis magnopere valet, uti optimum commendarunt. His igitur excitatus hodiernus Episcopus Academiam anno 1894 instauravit generalem Studiorum, in qua nostros aliosque adolescentes orbem scientiae jam perceptae dilatandi cupidissimos, Jus Canonicum, Studia Biblica, Linguas Orientales, Philosophiam ac Theologiam Angelici Doctoris edocendos sollicite et alacriter curabitur.

Cujus consilii certiolem fecit ipsemet Episcopus Gubernium, a quo obtinuit, ut per tres annos pensionibus veterum Universitatis Collegiorum illis studiis alumni vacare possint.

Denique Summus Pontifex Leo XIII, ne diutius in incertum et quasi precaria ratione res in gravissimo

studiorum et graduum collationis negotio ultra procederent, in plenariis Emmorum Patrum Studiorum S. Congreg. consiliis, habitis die V mensis Junii ann. 1896, mandavit, ut, ad normam juris, in quinque praedictarum Dioecesium Seminariis Facultates, more universitario, constituerentur et canonicè erigerentur, sive S. Theologiae, sive Juris canonici; quibus etiam Facultas adjicienda erit Philosophiae scholasticae, cum jure et privilegio *in perpetuum* gradus omnes conferendi clericis, qui Facultatum scholas rite celebraverint. Scopus, quem eadem Sanctitas Sua in demandanda hujusmodi canonica Facultatum erectione sibi proposuit consequendum, ille potissimum est, ut clericis perillustris totius hispanicae Nationis, qui ingenio ac pietate praestantiores ab Episcopis per dioeceses inveniantur, copia penes praedicta Seminaria fieret, studia omnia ecclesiastica altiori prorsus ratione excolendi, sicut et Sacrarum Scientiarum natura et dignitas expostulant, et prouti vel ipsae temporum circumstantiae a clericis requirunt in veritatis et fidei juribus, ipsis scientiae armis, contra innumeros hostes strenue defendendis.

Quod S. Pontificis mandatum, ut ad praxim rite adducatur, Sacra Studiorum Romana Congregatio Instructionem ad Praelatos, quos supra memoravimus, misit sapientissimam, ad cujus normam statuta haec, ab eadem Sac. Congreg. revisa et adprobata, confecta sunt.

CAPUT I

DE CANONICA FACULTATUM ERECTIONE

1. Tres sunt Facultates in hoc Salmanticensi pro ecclesiasticis studiis Pontificio Instituto, Auctoritate Sedis Apostolicae, more universitario, erectae; nempe Sac. Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae Scholasticae, quas Illus. ac Reverend. Dioecesis pro tempore Antistes, ceu Cancellarius, moderatur. Suis quaeque Facultas Magistris utitur ac Doctorum Collegio, quibus praest Praefectus Studiorum.

2. Pontificium Institutum Deo Uni et Trino dictum est, et ceu coelestem Patronum S. Carolum Borromaeum agnoscit.

CAPUT II

DE CANCELLARII MUNERE

3. Ad Reverend. Cancellarium, officio suo ac munere spectat, Doctorum Collegia convocare, eisque praesesse, suffragium ferre, aequalitatem, si quae sit, suffragiorum tollere; Praeceptores ac Magistros unicuique scholae renuntiare; textus auctorum alumnis offerendos, consultis prius Doctorum Collegiis, designare; gradus Academicos conferre et diplomata,

auctoritate tamen Sedis Apostolicae delegata, subscribere et obsignare; omnia denique, quae Facultatum regimen et administrationem respiciunt, suprema auctoritate moderari.

CAPUT III

DE MUNERE PRAEFECTI STUDIORUM

4. Ad Praefecti munus vir scientia et pietate prae omnibus in clero Dioecesis praestans, a Cancellario eligendus est, ejus tamen electio a S. Studiorum Congregatione confirmari debet.

5. Studiorum Praefectus Facultatibus, ceu Vice-Cancellarius, praeest et in iis quae ad Studia pertinent, Rectori, aliisque omnibus antecedit: eique munus et jus erit: *a)* sedulo invigilare ut Statuta executioni rite mandentur; *b)* diligenter inquirere an lectiones a Magistris studiosae soboli in scholis traditae catholicam amussim redoleant doctrinam; *c)* programmata Studiorum et examinum a Professoribus quotannis conficienda et a Collegiis respectivae Facultatis revisenda adprobare; *d)* candidatorum examinibus, absente Cancellario, praeesse et votum ferre; alumnos recipere et in matriculae libris inscribere; *e)* absente Cancellario candidatos gradibus insignire; omnia denique pro viribus curare, quae ad Facultatum incrementum, et decus, necnon ad solidam alumnorum institutionem magis conferre judicaverit. In absentia vel infirmate Praefecti Studiorum de ejusdem substituto Rmus. Cancellarius providebit.

CAPUT IV

DE COLLEGIIS DOCTORUM

6. Suum quaeque Facultas Collegium Doctorum habet, quod non minus octo, nec plus duodecim viris coalescit, qui de clero saeculari et regulari delecti et Laurea decorati, non tantum sint in scientiis litterisque probatissimi, sed etiam de re christiana benemeriti.

7. Doctorum munus et jus est: *a*) Studiorum rationi et Professorum muniis, invigilare et quae notatu digna censuerint proponere; *b*) Praefecto Studiorum et Cancellario, ut suo munere efficacius fungantur, praesto esse; *c*) examina candidatorum habere et vota proferre de eorum scientia pro gradibus obtinendis.

8. Ad hoc munus rite obeundum oportet, ut omnes uniuscujusque Collegii Doctores singulo bimestri simul conveniant et invicem conferant.

9. Doctorum conventus legitimi habeantur, si ex omnibus rite accitis, quinque saltem intersint et praesit Cancellarius aut Decanus.

10. Ex Doctoribus ille ceteris praeibit qui primus Lauream adeptus sit; toti Collegio, ceu Decanus, praesit qui a Reverend. Cancellario audito collegio designetur; qui postremus Laurea est decoratus munus obeat a secretis.

11. Primas partes sibi nuncupabit Collegium Theologicum, inde Canonicum, postremo Philosophicum.

12. Facultatum Professores possunt quidem inter Doctores adscisci. Expediit tamen ut major pars e clero saeculari et regulari eligatur, inter eos qui sive per studia magna cum laude confecta, sive per diuturnum in scholis magisterium, sive per edita opera ceteris antecellant.

13. Doctores, nisi gravi ex causa, pleno academico conventu discussa, et Cancellarii sententia necnon Sac. Stud. Congregationis iudicio confirmanda, à Còllegio amoveri nequeunt.

14. Doctorum nomina ad Sacram Studiòrum Congregationem sunt mittenda, ut eorum electio a Sancta Sede confirmationem accipiat.

15. Regulares authenticas exhibeant Litteras manu proprii Superioris obsignatas, ex quibus pateat integrum Studiorum curriculum confecisse et gradu vel Doctoris vel Magistri ex instituti sui regulis esse decoratos, aut in publica Universitate Lauream doctoralem fuisse consequutos.

CAPUT V

DE PROFESSORIBUS

16. Ad munus docendi ex omnibus sive saecularibus sive regularibus illi deligantur, qui scientia ac pietate sint praestantissimi. Ex ipsis enim recta pendet potissimum juvenum institutio, quam non vulgarem et ordinariam, sed ampliorem, profundam, exquisitam et variam procul dubio expostulat sive Instituti

natura, privilegio aucti gradus conferendi, sive ipsa graduum dignitas et excellentia.

17. Sedulo proinde cavendum est ne Magistri obiter inmutentur, in spem adducti pinguiora beneficia adipiscendi, ac suo interim precarie quasi fungantur officio. Quamobrem eos honeste digneque remunerari et decet et debitum est.

18. Ad scopum S. Sedis efficacius assequendum lectiones in scholis tradendae sunt a Magistris ad normam programmatis prius adprobati. Illud etiam cavendum ab ipsis est ne alumni jacturam temporis faciant, officium quasi scriptorum librariorum gerentes; quapropter quilibet professor utatur cursu typis impresso et integram horam in praelectionibus insumat.

19. In scholis earum disciplinarum, in quibus argumentationis usus est, disputationes publicae seu academiae interdum habeantur, quibus Professores Facultatis omnes interesse debent, omnia tamen Magistro Scholae moderante.

CAPUT VI

DE STUDIORUM ORDINE ET RATIONE

§ I.—*De Facultate Philosophica.*

20. Triennio Philosophiae cursus absolvitur. Primo anno explanabitur: a) Logica et Ontologia; b) Algebra et Geometria. 2.º anno: a) Cosmologia, Psyc-

logia et Theodicea; *b*) Trigonometria et Astronomia. 3.^o anno: *a*) Ethica, et jus naturale; *b*) Physica, Chymia et Historia naturalis.

21. Alumni qui ad philosophiae gradus contendunt, certo testimonio probent oportet, rite scholarum inferiorum et rethoricae cursus absolvisse, et praesertim peritiam comparasse linguae latinae, super qua districtum erit eis subeundum examen, antequam matriculae libris inscribantur. Expediit autem, ut pro inferiorum scholarum et rethoricae cursibus quinquennium saltem insumatur.

§ II.—*De Facultate Theologica.*

22. Quinquennio S. Theologiae cursus absolvendus est a clericis, qui gradibus insigniri velint academicis.

Primo anno praelectiones fient: *a*) de locis Theologicis, tractatibus de Ecclesia et de Romano Pontifice inclusis; *b*) de Theologia morali; *c*) de Historia ecclesiastica. Secundo anno: *a*) de Theologia dogmatica; *b*) de Theologia morali et pastoralis. Tertio anno; *a*) de Theologia dogmatica; *b*) de Introductione in S. Scripturam et de exegesi; *c*) de Institutionibus canonicis. Quarto anno: *a*) de Theologia dogmatica; *b*) de S. Scriptura et exegesi; *c*) de Eloquentia Sacra et de Patrologia.

Quinto anno qui ad lauream contendunt alacriorem operam navare debent litteris graecis et hebraicis, Archeologiae et, quod caput est, Summae Theologiae Sancti Thomae, ex cujus opere ea haurient Professores quae opportunitiora hodie videantur.

§ III.—*De Facultate Juris canonici.*

23. Facultatis canonicae liberi sunt cursus: sed qui gradibus in hac Facultate decorari cupiunt, triennio ejus scholas celebrent oportet.

Primo anno, tradentur Institutiones canonicae et jus publicum ecclesiasticum, ampliori tamen ratione ac in cursibus Theologiae tradi solent. Secundo anno et tertio libri omnes Decretalium mane et vespere per horam explanantur, opportunis factis additionibus de jure novissimo et viginti, necnon aptis comparationibus adjectis cum jure civili et patrio, additis etiam notionibus de jure civili administrationis et de praxi forensi.

§ IV.—*De omnibus Facultatibus generatim.*

24. Praelectiones uniuscujusque Facultatis semper latine haberi debent; iis exceptis, quae scientias naturales respiciunt.

25. A veteri celeberrimae Scholae Salmanticensis more recedere nolentes, doctrinae tam philosophicae quam theologicae forma scholastica necnon fideliter ad mentem Angelici Doctoris evolvendae sunt.

26. Duplex de Theologia dogmatica praelectio per integram horam diebus non ferialibus fiet, mane et vespere, quinto anno excepto.

27. In unaquaque Facultate disputationes fiant bis saltem in hebdomada, quas circulos vocant: aliae vero ad finem mensis, aliae quolibet trimestri solemniori modo celebrabuntur.

28. Vetita est cursuum cumulatio, ita ut nemini liceat ad effectum gradus assequendi duarum Facultatum cursibus insimul inscribi.

29. Curriculis emensis omnes et singuli qui Scholas celebrant, examini scripto et orali subjicientur coram Professoribus qui discipulos in re, quam coluerint, *meritos*, *benemeritos* aut *meritissimos* judicabunt.

CAPUT VII

DE ANNO SCHOLASTICO

30. Initium docendi fiat die 15.^a Septembris; finis verò prima die mensis Julii. Porro examina et gradus academici in secunda quindena Junii persolventur.

Omnibus diebus anni scholastici docebitur, exceptis his qui sequuntur: *a*) prioribus diebus curriculi quos alumni in exercitiis spiritualibus impendent. Ast pridie festum B. M. V. de Mercede lectio assignanda est. *b*) Diebus dominicis, atque aliis divino cultui dicatis ex praecepto; *c*) Die Jovis; *d*) a primis vespereis diei 23.^{ae} mensis Decembris usque ad diem 2.^{am} Januarii; *e*) tribus feriis quae dominicam in Quinquagesima sequuntur; *f*) a feria IV Hebdomadae majoris usque ad eandem feriam infra octavam Paschae; *g*) bina feria quae dominicam in Pentecoste subsequitur; *h*) in anniversario electionis Rever. Cancellarii, necnon in Natalibus ejusdem et Stud. Praefecti et Seminarii Rectoris.

Generatim diebus quibus vacant scholae, alumni

aliquid temporis mane in studio insumant, vel aliquam academiam aut scholam ordinis secundarii adeant, nisi sacris functionibus interesse debeant.

Potest Stud. Praefectus una vel altera die in quolibet mense schola vespertina alumnos solvere. Sola vero Reverend. Cancellarii venia scholae per amplius temporis spatium vacabunt.

31. Quo die curriculum instaurandum sit solemne sacrum fiet ad impetranda Spiritus Sancti dona. Aderunt Praefectus, Rector, Doctorum Collegia, ceterique Scholae ministri ac discipuli universi. Antiphona et oratione coelestis patroni cantatis et Sacro peracto, unus ex numero professorum et doctorum orationem dicat latinam de re a Praefecto Studiorum approbata et quidem insignem ac conspicuam. Deinde singuli professores et Magistri fidei professionem emittent coram Cancellario ad formulam quam Pius IV et Pius IX tradidere.

CAPUT VIII

DE GRADUUM COLLATIONE

32. Gradus academici in unaquaque facultate tres de more sunt, nempe: Baccalaureatus, Licentia seu Prolytatus, Doctoratus seu magisterium. Nemo Laurea seu doctoratu donabitur, nisi antea Baccalaureatum et Licentiam obtinuerit.

33. Candidati advenientes ex Dioecibus alienis, qui emensis jam in Dioecesanis Seminariis studio-

rum cursibus, ad gradus promoveri velint, per biennium nostros Facultatum cursus frequentent oportet: nisi dispensationem acceperint a S. Stud. Congregatione. Ceterum, authenticum exhibeant testimonium de superatis omnibus disciplinis, quae ad quemlibet gradum assignantur.

34. Experimenta ad gradus, more hujus Salmanticensis Scholae semper districte et serio fient.

35. Baccalaureatus in Philosophia post primum annum, Prolytatus post secundum concedatur: Doctoratus vero post tertium.

36. In Facultate Theologica ad Baccalaureatum promoveri possunt qui tertium, ad Licentiam qui quartum, ad Doctoratum qui quintum annum hujus Facultatis expleverint.

37. In Facultate denique Juris canonici secundo anno Baccalaureatum, tertio Licentiam et Doctoratum alumni obtinere possunt.

38. Ad Baccalaureatus gradum in tribus Facultatibus adipiscendum, tria sunt a candidatis subeunda examina. In priori experimento candidatus per semihoram satisfaciet singulis quaestionibus, quae a Doctoribus proponantur, de rebus in primo anno pro Philosophia, in primo et secundo pro Jure Canonico, triennio vero pro Theologia, in scholis digestis. Deinde, ex centena Thesium serie tres theses candidatus sortiatur, et eam, quae sibi magis placuerit, selectam, infra spatium sex horarum per aliam semihoram dilucidandam curabit. In tertio, denique, argumentis, quae contra thesim enucleatam a Doctoribus objiciantur, solutionem praebebit uno quadrante ad normam Scholasticorum, altero soluta oratione.

39. Adepturi vero Licentiam iisdem quibus Bacca-

laurei experimentis subjicientur, hoc tamen adjecto discrimine, quod experimenta triplici sint quadrante duratura.

40. Pro Laurea, denique, ex centum difficilioribus programmatis quaestionibus eam, quae candidato magis arrideat, thesim ex tribus sorte deductam, spatio duarum horarum ad preparationem concesso, per semihoram propugnabit et quaesitis postea proponendis respondebit. Deinde sortiatur tres theses de centena serie, quae supra memorata est, et de ea quae sibi placuerit, dissertationem sermone latino spatio sex horarum conscribat, quam inde die stabilito coram Doctoribus leget. Tertium experimentum in hoc est, ut candidatus per horam saltem Doctoribus thesim in forma scholastica impugnantibus, respondeat.

41. Cum candidatus theses sortiatur, duo ex Collegio Facultatis Doctores intersint, oportet.

Candidati, postquam thesim ab ipsis propugnandam delegerunt, in loco separato manebunt, et nullo libro praeter Bibliam, Concilium Trident. et Vaticanum et Corpus Juris pro casu, uti posunt.

42. Experimenta ad Baccalaureatum eorum tribus, et ad Licentiam coram quinque Facultatum Doctoribus semper fient. Examina ad Doctoratum coram septem sunt facienda, Cancellario Praeside vel Vicecancellario.

43. Professores qui Doctores Collegiales non sint poterunt examinibus interesse, sed jure suffragii non potiuntur. Ut vero suffragii jure Doctores Collegiales fruuntur toto, quo examen subit candidatus, tempore, intersint, necesse est.

44. Ceteri Doctores, qui sunt de Facultatis Colle-

gio, possunt examinibus interesse, et candidatum interrogare, et suffragium ferre, postquam tamen Doctores, antea designati, examen candidati absolverint. Qui de Collegio Facultatis Doctores non sint, jure suffragii non gaudent.

45. Sua quisque judex suffragia clam significet, calculis albis adprobantibus, nigris vero reprobantibus.

46. Censurae in publico testimonio seu diplomate exprimendae hae sunt: qui omnia vota alba retulerit, *nemine discrepante*; qui binas tertias partes, *ex communi suffragio*; qui uno tantum superet, *ex simplici approbatione* gradum obtinebit.

47. Quibus examen ad gradum male cesserit, redeundi ad alteram probationem non ante tres menses pro Baccalaureatu, nec ante sex pro Prolytatu et Laurea veniam semel concedere potest Cancellarius.

48. Omnes et singuli candidati, fidem catholicam profiteantur, ad formam Pii IV et Pii IX coram Vicecancellario et Doctoribus, prius quam ad unumquemque gradum promoveantur.

49. Praeter Lauream in forma communi alia potest ad *honorem* et *praemium* in unaquaque Facultate conferri. Ut quis hanc specialem Lauream adipisci possit, requiritur, ut omnia vota alba in examinibus ad gradus assequendos retulerit et censuram *meritissimi* in principalioribus ejusdem Facultatis disciplinis obtinuerit.

50. Si duo vel plures alumni ad eundem honorem concurrant, per experimentum praevium, quinam ex his dignior sit dijudicetur.

51. Ad hoc exercitium praevium peragendum, competitorum hora indicta, omni sublata communicatione,

quin ullum librum legant ac pervolvent, trium horarum spatio tantum dato, aliquam propositionem ex programme Doctoratus sorte depromptam in scriptis latine dilucidabunt. Qui a Tribunali victor declaretur, Lauream ad honorem consequetur.

CAPUT IX

DE STATUTORUM EXEQUUTIONE

52. Cancellario, ceu supremo Instituti moderatori competit haec Statuta interpretari, difficultatibus, quae forte irrepere possint, obviam ire, peculiare et practicas edicere regulas, quibus Statuta ipsa rite applicentur. Ceterum haec Statuta derogare nemini, inconsulta Sacra Romana Studiorum Congregatione, liceat.

53. De numero autem et progressu alumnorum, de gradibus collatis, de Professorum nominibus et titulis, de auctorum textibus et generatim de Facultatum statu, quolibet triennio ad S. Studiorum Congregationem per Studiorum Praefectum Cancellarius relationem mittere curabit.

Datum Romae die XVIII mensis Martii
MDCCCXCVII.

C. CARD. MAZZELLÀ, *Praef.*

Locus Sigilli.

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*

DECRETUM

Quum S. Congregatio Studiorum maturo subje-
rit examini Constitutiones ab Illmo ac Rmo Dño Tho-
ma Camara y Castro, Episcopo Salmanticensi in
Hispania, exhibitas, pro Facultatibus S. Theologiae,
Juris Canonici et Philosophiae in Seminario Salman-
ticensi rite et canonice erigendis, utendo facultatibus
a Ssmo. D. N. Leone Papa XIII benigne tributis in
audientia diei XIII^{ae} mensis Februarii hujus anni
MDCCCXCVII, easdem Constitutiones apte re-
visas prouti in adnexo exemplari authentico continentur,
adprobat atque sancit. Hinc decrevit, ut Facultates
praedictae S. Theologiae, Juris Canonici et Philoso-
phiae uti possint et valeant per Decennium iisdem
constitutionibus, quarum exemplar in tabulario No-
stro asservatur, ac proinde frui omnibus juribus ac
privilegiis, quae in ipsis continentur, dummodo reli-
giose executioni in omnibus mandentur. Contrariis
quibuscumque non obstantibus.

Romae die XVIII Martii MDCCCXCVII.

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*

BEATISSIME PATER:

Episcopus Salmanticensis humiliter expostulat ut in Seminario Salmanticensi, in quo nuper canonice erectae sunt Facultates S. Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae, ad munus Studiorum Praefecti eligere possit illum et Rmum Doctorem Joannem Antonium Vicente Bajo.

Et Deus.

Die 13 Februarii 1897 Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente subscripto S. Congregationis Studiorum Emo Card. Praefecto, votis Episcopi Salmanticensis benigne annuens, ei facultatem, de qua in precibus, concedere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*

Illmo a Rmo Dño Thomae Camara y Castro, Episcopo Salmanticensi.

Ut Collegium Doctorum Facultatis Theologiae nuper erectae in Seminario Salmanticensi nunc primum componatur, Sacra haec Studiorum Congregatio, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Leone, Papa XIII benigne tributis, concedit Episcopo Salmanticensi, ut eidem Collegio aggregari possint et valeant.

D. Petrus García Repila, Dr. in Sac. Theolog. ac Dignitas Mag. Scholarum.

D. Franciscus Jarrin Moro, Dr. Sac. Theolog., Canonicus Magistralis ac Professor Seminarii.

- D. Primitivus Vicente Lorenzo, Dr. Sac. Theolog.,
Canonicus Poenitentiarius ac Professor Seminarii.
D. Nicolaus Pereira Repila, Dr. in Sac. Theolog., Ca-
nonicus et Professor Seminarii.
D. Nicolaus Encinas Villoria, Dr. Sac. Theolog., Ca-
nonicus Lectoralis et Professor Seminarii.
D. Eloyus Nacar Fuster, Dr. Sac. Theolog., Licent.
in Jure Canonico ac Professor Collegii Superioris.
D. Joseph de la Mano Beneite, Dr. in Sac. Theolog.
et Professor Collegii Superioris.
D. Emmanuel Antonius Rodriguez, Dr. in Sac. Theo-
log. Parochus S. Martini.
P. Elias Reyero Societatis Jesu, Professor Sac. Theo-
log. in Seminario.
P. Joseph. Chopitea, S. J., Professor Sac. Theolog.
Dogmaticae in Seminario.
P. Emmanuel Smith., S. J., Professor Sac. Theolog.
Dogmaticae in Seminario.
P. Fr. Sebastianus a Jesu Maria et Joseph. Ord. Car-
melitarum Excalceatorum Definitor Prov. et Lec-
tor S. Theologiae in Conventu Salmanticensi.
Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

Locus sigili.

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*

Ut Collegium Doctorum Facultatis Juris Cano-
nici nuper erectae in Seminario Salmanticensi nunc
primum componatur Sacra haec Studiorum Congre-
gatio utendo facultatibus a Sanctissimo Domino No-
stro Leone XIII benigne tributis, concedit Episcopo
Salmanticensi ut eidem Collegio aggregari possint et
valeant:

D. Thomas Ubierna Saenz, Dr. in Jure Canonico et

- Civili ac in Sac. Theologia, Decanus Capituli Cathedralis.
- D. Raymundus Barberá Boada, Dr. in Sac. Theologia, Licentiatus in Jure Canonico et Civili, Archipresbyter et Vicarius Generalis.
- D. Calixtus Lajas et Chamorro, Lic. in Jure Canonico et Civili, Canonicus Doctoralis.
- D. Laurentius Aniceto Alvarez, Lic. in Jure Canonico et Civili, ac in S. Theologia, Canonicus et Promotor Fiscalis Curiae.
- D. Fridericus Liñan, Lic. in Jure Canonico et Civili, Canonicus Ecclesiae Cathedralis.
- D. Zephyrinus Andres Calvo, Dr. in Jure Canonico, Lic. in S. Theologia ac Professor in Collegio Superiori.
- D. Romanus Bravo Riesco, Dr. in Jure Canonico et Professor Collegii Superioris.
- D. Joannes Cajal Paz, Dr. in S. Theologia, Lic. in Jure Canonico et Professor Collegii Superioris.
- D. Gabriel Encinas Encinas, Dr. in Jure Canonico et Civili.
- D. J. Emmanuel Garcia Boiza, Dr. in Jure Canonico.
- P. Petrus Segura, S. I., Professor Institutionum Canonicarum in Seminario.
- P. Fr. Joseph. Maria Suarez Ordinis Praedicatorum, Prior ac Lector in Conventu Salmanticensi.
- Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. CAR. MAZZELLA, *Praef.*

Locus sigili.

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*

Ut Collegium Doctorum Facultatis Philosophiae nuper erectae in Seminario Salmanticensi nunc primum componatur Sacra haec Studiorum Congregatio utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro

Leone, Papa XIII, benigne tributis, concedit Episcopo Salmanticensi ut eidem Collegio aggregari possint et valeant.

D. Franciscus Jarrin Moro, Dr. Philosophiae et Litterarum ac in Sacra Theologia.

D. Joannes Emmanuel Bellido Carbayo, Dr. in Sacra Theologia ac Licentiatus in Scientiis, Canonicus et Professor Seminarii.

D. Thomas Redondo Diez, Licentiatus in Philosophia et Litteris, Professor Collegii Superioris.

D. Aurelianus Sevillano Moro, Dr. in Sacra Theologia ac Professor Philosophiae Thomisticae in Collegio Superiori.

D. Julianus Portilla Martin, Dr. in Jure Canonico ac Licenciatus Philosophiae Thomisticae in Lovanien-
si Collegio Leonis XIII.

D. Sebastianus Hernandez Bueno, Lic. in Philosophia et Litteris.

D. Antonius Sanchez Casanueva, Lic. in Sacra Theologia et Scientiis ac Professor Seminarii.

P. Hilarius Sanchez, Societatis Jesu, Dr. in Scientiis, Rector Disciplinae ac Professor Seminarii.

P. Joannes Antonius Zugasti, S. J., Professor Philosophiae in Seminario.

P. Gabinus Garicano, S. J., Professor Philosophiae in Seminario.

P. Antonius Lopez Alda, S. J., Professor Philosophiae in Seminario.

P. Fr. Ludovicus Sanchez, Ordinis Praedicatorum, Lector Summae Theologiae Divi Thomae in Conventu Salmanticensi.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

Locus sigilli.

JOSEPH. MAGNO, *a Secretis.*